



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VI. An in verbis illis: In principio creavit Deus cœlum, creatio etiam
Angelorum comprehensa sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

aut obliquum, tam respectu Solis, & singulorum planetarum, quam secundum varios ipsorum, & aliarum stellarum concursus. Hæc a. habitudo, & dispositio ex parte terre semper est eadem propter immobilitatem eius, & ideo semper in illis regionibus pro illarum diuersitate eadem distinctio in effectibus, vel conditionibus eorum reperitur. Non prouenit ergo ex solo cælo empyreo, quantumvis supposita influentia huius cæli, possit ad illam cooperari, non quia in partibus suis ex se habet distinctam virtutem influendi, sed quia eadē virtus aliter concurrens cum alijs causis vniuersalibus, vel particularibus efficientibus, & materialibus, potest ad diuersos effectus cooperari, sicut in varijs coniunctionibus planetarum contingit.

17.
Vera resolu-
tio prædictæ
influentiæ.

Dico ergo, non constare nobis, quod specialem proprietatem, vel effectum influat cæli empyrei per se spectati, & sola sua virtute efficiendo in aliud corpus. Neque propter hunc defectum nostræ cognitionis negare debemus omnem illius cæli influentiam, quæ euidens nobis est, in rebus nobis vicinioribus, esse plures virtutes agendi, quas ignoramus, quæ earum effectus experti non sumus, nec satis experiri, aut ab alijs causis distinguere possumus. Satis ergo est, quod in generali, & veluti à priori ex illius corporis nobilitate colligamus, non posse carere omni agendi virtute. Vnde D. Thom. dicta solut. ad 2. in generali dixit, influere illud cælum in sibi proximum aliquid ad dignitatem pertinet. In dicto a. quolib. dicit cooperari ad perpetuitatem, & stabilitatem vniuersi. Verisimile a. est, de facto non influere in hæc inferiora, nisi coadiuuando, & cooperando alijs astris, & cælis: & ita non habere aliquem specialem effectum præter eos, qui ab alijs cælis proueniunt, quantumvis ex influentia cæli empyrei vel maiori virtute, & efficacia hant, vel etiam aliter temperantur, & disponantur. Neque de ista influentia ita occulta aliquid aliud dici cum fundamento posse existimo. Nam quod quidam dicunt, habiturum specialem influentiam in corpora beatorum, incertum satis est, si de influentia distincta ab emissionem intentionalium specierum intelligatur: nam sine dubio delectabuntur beati splendore, & pulchritudine illius cæli non tantum mente, sed etiam oculis visa, & ad hoc ab illo species recipiunt. Alia vero influentia, non video, quo fundamento asseratur.

CAPVT VI.

Utrum in verbis illis. In principio creauit Deus cælum, creatio etiam Angelorum comprehensa sit.

1.
Duplex qua-
stio in titu-
lo capitis di-
stinguenda.

Altera confirmatio in c. 4. n. 14. prætermissa hoc incidens dubium petebat, quod in superiori tract. l. 1. c. 3. n. 12. attigimus, & in hunc locum plenius tractandum remisimus. Duæ igitur questionēs hic distinguendæ sunt, vna est, an Moyses in tota illa narratione creationis mundi creationem Angelorum prætermiserit. Altera est, si illam non prætermisit, quo verbo, & quomodo illam significauerit. Et ita hæc posterior quæstio bipartita est, solum n. possunt Angeli comprehendi in toto illo capite vel sub nomine cæli, vel sub nomine lucis, quia in nullo alio verbo aliquod fundamentum, aut vestigium illius significationis cogitari potest, & ita de illis tantum duobus variæ opinionēs fuere. Nunc ergo solum de creatione cæli agimus, de lucis productione in lib. seq. videbimus.

2.
In quæstione
nunc tra-
ctanda. 1. o.
pinto negans

Est ergo opinio satis antiqua, & recepta, Moysen in eo capite nullam de creatione Angelorum mentionem fecisse, imo ex instituto illam prætermisisse. Ita supponunt Basil. l. de Spiritu sancto. c. 16. & homil. 1. Exaëmer. & Chrysostom. de Ieiunijs, & Gen. lectione, quæ habetur post homilias in Gen.

idemque habet hom. 2. in Gen. & in id. Psal. 8. Quoniam videbo celos tuos. Epiphani. hieres. 65. in principio, Cyrill. l. 3. cont. Iulian. 5. igitur quod, Athan. q. 1. ad Antioch. Theodoret. q. 2. in Gen. & indicat Hieronymus epist. 129. ad Cyprian. in principio dicens, Moysen visibilium tantum rerum creationem narrasse. Præterea in hac sententia conueniunt omnes, qui senserunt Angelos fuisse creatos ante illud principium, de quo loquutus est Moyses, cum dixit, *In principio creauit Deus cælum*, quos supra suo loco retulimus. Quia Moyses tantum narrat creationem earum rerum, quæ in illo principio creata sunt: ergo si iam erant Angeli, non potuerunt sub illa narratione comprehendi. Et simili modo eiusdem opinionis necessario sunt, qui dicunt, Angelos fuisse creatos post primum diem, quia sic etiam non possunt sub illis verbis comprehendi. Sed hæc opinioniones in superiori tractatu reiectæ sunt. Veruntamen licet Angeli fuerint creati simul cum cælo, vt ibi posuimus, fieri potuit, vt Moyses in sua narratione illam prætermiserit. Quod autem ita sit, probatur ex verborum proprietate, nam quod ad præsens atinet, nomen *cæli* non significat rem spirituales, sed corporeas: ergo in narratione historica vox illa est in sua proprietate accipienda. Cur autem Moyses Angelos prætermiserit, variæ rationes à Patribus redduntur. Prima est Athanasij, Chrysostomi, & Theod. dicens, ne illis ille populus Angelos vt Deos coleret, si illorum notitiam reciperet. Secunda, quia Hebræi tunc erant incapaces, & non poterant creaturas spirituales concipere, ideoque satius visum est, occasiōem præbere, vt ex visibilibus ad invisibilia ascenderent, quam statim de spiritualibus rebus sermonem eis facere. Ita indicant Chrys. & Basil. & fauet Ambr. l. 1. Exaëmer. ca. 5. & Cyrill. dicens: *Non oportebat dicere ea, quæ intelligi nequebant.* Tertia, quia narratio de Angelis aliena erat à scopo Moysis, qui erat rudem populum ad Dei cultum, & ad Mosaicæ expectationem per res, & ceremonias sensibiles disponere, altioribus rebus prætermisissis. Ita significat Cyrillus lib. 2. cont. Iulian. 3. 4. vers. Itaque de Moysen, cum sequente.

Secunda sententia huic extremæ contraria est, Moysen in illis verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram*, per se ac immediatè loquutum esse de Angelis, illosque solos nomine cæli significasse, quoniam non sine aliqua metaphora per cælum intelligendo supremum ordinem rerum, quibus hic mundus componitur. Sicut n. vnus homo, qui microcosmos dicitur, corpore, & spiritu constat, ita mundus ex rebus spiritualibus, & corporalibus componitur, illæ ergo nomine cæli, hæc vero nomine terra significatæ sunt, vel quoad totā earum existentiam, vel quoad materiam, ex qua oēs corporeæ formæ sunt. In qua expositione posterior pars de nomine terra postea expenditur, quoad priorē vero huc pertinet. Et approbat illam Aug. l. 12. Confess. c. 7. 8. & 9. sequitur Gregor. 37. Moral. cap. 24. alias. 25.

Veruntamen sine vlla dubitatione dicendum est primo, Moysen nomine cæli non significasse solos Angelos. Hanc assertionem probant sufficienter, quæ c. 3. & 4. copiose tractata sunt. Eius communis sententia antiquorum Patrum præter citatos in priori sententia, Dionys. c. 4. de diu. nomin. in prima eius parte, Basil. hom. 1. Exaëmer. & sæpe in seq. & præsertim in hom. 9. vbi has allegorias, quæ simplicem, ac literalē sensum excludant, grauerè reprehendit. Vnde Greg. etiam Nissen. in principio Exaëmer. in eam curam incumbendum esse dicit, vt rebus in significatione propria manentibus, certum rerum procreationis se rem contempleretur. Eademque est sententia Ambr. toto l. 1. Exaëmer. & l. 2. c. 1. & sūt postea sequuti Beda in Exaëmer. initio. Hugo de S. Victor. in elucidat. Gen. c. 3. & 9. & ibidem Glossæ, & modernij

derm expositores communiter, & D. Thom. dicta
quest. 65. 66. & 67. & seq. Et Scholastici communi-
ter cum Magistro in 2. d. 12. Et fundamentum præ-
cipuum nititur in principio sumpto ex doctrina
eiusdem Augustini, & ad fidei stabilitatem valde
necessario, verba Scripturæ in proprio sensu esse
accipienda, quando euident ratio, vel auctoritas
ad metaphoram non compellit, quæ ad dogmata fidei,
vel ad historias pertinent. At illa verba, *In principio
creauit Deus cælum & terram*, & dogma fidei conti-
nent, & historiam referunt, & nulla est ratio in-
ducens, nedum cogens ad metaphoram, auctori-
tas etiam Patrum in propria significatione ver-
bum illud accipit. Ergo nulla ratione excluden-
dus est sensus proprius propter metaphoricum.
Et hanc regulam etiam ad verba Moysis singulari-
ter applicatam, & subinde totam rationem à no-
bis factam confirmant non solum Basil. homil. 3.
& 9. in Gen. & Beda, & Hugo de Sanct. Victor. su-
pra, sed etiam Augustinus lib. 8. Gen. ad liter. cap. 1.
& 2. ubi expressè rejicit in hac parte sensus allego-
ricos, quos in alijs libris de Genesi contra Mani-
cheos prius scripserat. Accedit tandem, quod in
alijs locis scripturæ (vt supra etiam notauimus) in pro-
pria significatione verba illa, & nomen cæli in eis
positum explicatur, præsertim Psalm. 101. *Nitio tu
Domine terram fundasti. & opera manuum tuarum sunt
cæli.* Et Ecclesia ex eodem loco accipit primum ar-
ticulum fidei in Symbolo contentum, *Credo in vnum
Deum Patrem omnipotentem creator em cæli & terræ* qui
sine dubio in verborum proprietate accipiendus est.

Quapropter sententia Augustini pie explican-
da est, vt in sensu mystico, non excludendo pro-
prium & literalem, sit loquutus. Quod multo cer-
tius est de Gregorio. Addendum item est, & pro
sequentiibus obseruandum, Augustinum in his
interpretationibus Genesim magis disputando, &
inquirendo, quam asserendo, & verum sensum li-
teralem stabilendo, processisse, vt ipse diserte ad-
monuit lib. 1. Genes. ad liter. cap. 26. & 21. & in Im-
perfect. Genes. cap. 3. Vbi hanc ipsam quæstionem,
quam tractamus, an per cælum superiores sub-
stantiæ, & per terram res inferiores intelligantur,
disputat, & nihil resoluit. Quapropter etiam se-
cundum mentem Augustini stabilendus in pri-
mis est, in illis verbis proprius, & literalis sensus:
cui deinde mystic⁹ superaddi poterit. Vnde quod
idem Augustinus lib. 12. Confession. cap. 25. & 31.
ait, si plures dantur sensus, qui in se continent ver-
itatem, non esse temerè affirmandum, quid pos-
sissimum Moyses senserit, semper intelligendum
est, salua verborum proprietate in aliquo sensu,
qui simul, & aliquid verum doceat, & proprietati
verborum consentaneus sit.

Secundo igitur dico, quauis expressè Moyses
non narrauerit per illa verba Angelorum creatio-
nem, nihilominus non omnino illam prætermi-
sisse, sed implicite sub nomine cæli illos compre-
hendisse. Hæc assertio in primis est conformis Au-
gustino locis citatis, qui vbique in hanc partem
inclinat, quod Angelorum creatio non fuerit à Mo-
yse prætermissa. Imò in lib. de ciuit. c. 9. id affirmat,
& probat, quia in c. 2. Gen. dicitur Deus requies-
se ab omni opere suo, quod parauit. Opus autem (inquit) Dei
esse Angelos, hic quidem licet non prætermisissim non tamen
evidenter expressum. sed alibi hoc Scripturæ clarissima voce
revelatur, &c. Et Gregor. lib. 32. Moral. cap. 9. alias 10.
cum simul factum cælum, terræ, & de scribitur, simul spiri-
tualia, atque corporalia facta esse indicatur. Deinde hoc
non est contra literæ proprietatem, fatemur enim,
nomine cæli verum, & corporeum cælum Moysen
intellexisse, tamè addimus, sub nomine illo etiam
comprehendisse totum cæli ornatum, qui magna
ex parte in habitatoribus eius, seu cælicolis, qui

Suare de opere sex dierum.

sunt Angeli, consistit. Qui modus loquendi non
est metaphoricus, sed proprius cum aliqua ampli-
ficatione, quæ licet aliqua ex parte includat illam
metaphoram secundum quam continens pro co-
tento accipitur: nihilominus quando ipsum con-
tinens non excluditur, adeo est vitata, vt proprie-
tatem sermonis non excludat. Sic enim frequen-
ter de ciuitate, vel domo loquimur, simul locum,
& habitatores comprehendendo. Præterea hæc
assertio non est contra Patres pro priori sententia
allegatos, illi enim de expressa narratione creatio-
nis Angelorum sufficienter explicantur. Præter-
tim cum alibi ipsi doceant, sub illis verbis, *Cælum,
& terra*, multa Moysen comprehendisse, quæ per
ipsa verba formaliter non exprimuntur. Nā Chry-
sost. ait, in illis primis verbis summam compre-
hendisse Moysen totius mundi opificium. Quod
etiam approbat Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 33. Basilus
etiam ait, Moysen sub nomine terræ comprehen-
disse aquam, & ætrem, & sub extremis corporibus
comprehendisse media: ergo eadem ratione dice-
re, & credere possumus, sub nomine cæli compre-
hendisse omnia cælestia, quæ cum cælis, & in cæ-
lis creata sunt; sicut nomine terræ comprehendi
possunt omnia terrestria per propriam creatione
facta, vt infra explicabimus. Denique hic optime
applicari possunt verba Tertulliani lib. contr. Her-
mogen. cap. 31. quatenus dicit: *Nomen non est, vt id so-
lum, quod continet nomen, quæsummale in isto autem in-
telligitur. & quod continetur, quæ portionale.* Et ex hoc
principio explicat illa verba, quauis de Angelis
nihil expressè dicat.

Tertio in hoc sensu videtur in Scriptura fre-
quenter vocari Deus creator cæli, & terræ; nam
per illa verba intendit Scriptura explicare solum
Deum esse increatum, & reliqua omnia quæ sunt,
ab ipso esse creata. Sic loquitur Paulus Act. 17.
*Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli,
& terræ cum sit Dominus, &c.* ubi sub nomine cæli, &
terræ, mundum, & omnia, quæ in eo sunt, de quib-
us loquutus fuerat, comprehendit. Et hic loque-
di modus est frequens in Psalmis, in 32. *Verbo Do-
mini cæli firmati sunt, & spiritus oris eius omnia virtus eo-
rum.* Psalm. 68. *Laudem illi in cæli, & terra.* & Psalm.
88. *Tui sunt cæli & tuæ est terra, & quasi explicando il-
la verba additur, Orbem te & plenitudinem eius tu
fundasti.* & Psalm. 120. *Auxilium à Domino, qui fecit cæ-
lum & terram.* Et similia, quæ optime in dicto sen-
su intelliguntur. Accedit, quod in Symbolo Nice-
no ita videntur illa verba, *Factorem cæli & terræ*, ex-
plicari per sequentia, *visibilia omniū, & inuisibi-
liū.* Quod vt magis exponeret Concilium Late-
ran. addidit in cap. firmiter, *spiritualium & corpora-
liū.* Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis
vtramq; de nihilo condidit creaturam, &c. Ac denique
Catechism. Rom. 1. p. in expositione art. 1. Symboli
n. 16. dixit, *Nomine cæli & terræ, quicquid cælum, & terra
complectitur intelligendū est.* Et n. 17. specialiter declar-
rat, Angelos sub nomine cæli esse comprehensos.

Neque huic assertioni obstant motiua prioris
sententiæ, imò illam confirmare possunt. Nam
principale fundamentum illius sententiæ probat
præcedentem conclusionem, non tamen huic re-
pugnat, vt iam satis explicatum est. Aliæ verò co-
gruentiæ ad summum procedunt de formali, seu
expressa commemoratione Angelorum, de qua il-
lam sententiam explicauimus: ad excludendam
autem implicitam insinuationem, parum valent.
Imò aliquæ illarum rationum etiam in priori sen-
su non sunt admodum efficaces: nam licet Moy-
ses expressè dixisset, Deum creasse cælos, & cæle-
stes spiritus, non propterea in idololatriæ pericu-
lum populum coniecisset. Quin potius dicendo il-
los esse creatos, doceret illos non esse Deos, neque
latria adorandos, eo vel maxime quod paulo post
facit

Non est con-
tra Patres ci-
tatos in n. 2.

7.
Nec deniq;
a iaculis
d' ssonat.

Symbolum
Nicean cap.
firmiter.

8.
Ad principia
fundam. i.
opinionis in
na. 2.

Ad reliquas
congruentias
ibidem ad-
ducas.

facit mentionem Cherubim collocati ante paradisum cap. 3. & alterius Angeli, qui Agar in via occurrunt, cap. 16. & aliorum Angelorum, qui apparuerunt Abrahe c. 19. & in reliqua parte eiusdem libri, & sequentibus Pentateuchi frequenter de Angelis loquitur, ergo non pretermittit eorum expressam mentionem in principio propter periculum, vel incapacitatem populi: nam hæc necessitas non magis in illo principio, quam paulo post in illius libri lectione cogitari poterat. Quin potius existimo, antequam Moyses librum Genesim scriberet, familiarem, & vulgatam fuisse in illo populo notitiam Angelorum ex traditione maiorum. Nam verisimilimum est, quod sicut ille populus per traditionem retinebat expectationem Messiae, necessitatem circumcisionis, & similia, ita etiam habebat cognitionem plurium rerum, quarum historiam Moyses in Genesi scribit, vt peregrinationum Abrahæ, Isaac, & Iacob, & plurium mirabilium rerum, quæ illis acciderant. Ergo credibile etiam est, habuisse notitiam Angelorum. Imo fortasse ideo Moyses contentus fuit, narrando creationem celi, & terræ, quia sciebat facile intellecturos omnes, nomine celi omnes res celestes siue visibiles siue inuisibiles comprehendere, & de Angelis ibi distinctis non fuisse locutum, quia tunc ad suum munus non pertinebat. Sicut etiam nec de celo empyreo expresse, & specificè loquutus est. Et ita responsum est ad secundam confirmationem in cap. 4. relictam in fine num. 14.

CAPVT VII.

Vtrum aer fuerit simul cum celo creatus, & sub nomine celi comprehensus.

1. *Cur de elemento ignis specialis questio non proponatur.*

Do puncta in titulo proposito insinuantur, & breuiter tractanda sunt: vnum de creatione aeris absolute, & per se spectata: aliud de narratione illius in prædictis verbis Genesim. Quæ duo posunt etiam de elemento ignis inuestigari, sed id facere omitimus, quia non est tam certum dari simplex elementum ignis in propria sphaera, sicut est de aere. Et iuxta opinionem asserentem supremam regionem aeris attingere vsque ad concauū lunæ, & non dari corpus ignis medium inter lunam, & aerem, consequenter dicendum est non fuisse creatum elementum ignis in illo principio, ac proinde nec sub illis verbis esse comprehensum. Nam si creatum tunc esset in proprio loco connaturali, ibi profecto esset vsque nunc conseruatum, tum quia elementum secundum se totum non corrumpitur, tum quia nec à celis corruptum esset, nec ab inferioribus elementis, nulla enim influentia, vel alterationes igni contrarie ad illum locum perueniunt. Neque etiam Deus solus illud destruxisset, alias frustra illud produxisset, & ideo non solet Deus sua sponte destruere, quæ creauit, sed per causas secundas, quando earum natura, & cursus id postulat. Si vero, vt probabilius creditur, elementum ignis in sua sphaera existit, & ad complementum vniuersi pertinet: eadem ratio de illo erit, quæ de elemento aeris, & quæ de hoc dixerimus, facile ad illud applicabuntur, ideoque specialem questionem de igne mouere necessarium non fuit.

2. *1. Sententia negans, & quantum illa amplectantur.*

Prima ergo sententia referri potest, negans elementum aeris sub propria forma, & substantia creatum esse in illo principio, vel in verbis illis fuisse comprehensum. Hanc sententiam potissimè docent, qui putant, in illo primo creationis instanti tantum creasse Deum materiam primam informem, ex qua postea celos, & elementa formauit. Vel, vt alij dicunt, solum creasse celum empyreum, & materiam informem communem, vel creasse celum empyreum cum elemento proprio terræ, & corpus aliquod aqueum, vel informe,

quo totum spatium inter celum empyreum, & terram vniiformiter repleuit, ex quo postea celos, & alia elementa formauit, & distinxit. De quibus sententijs in sequentibus capitulis dicturi sumus, vbi fundamenta etiam earum expendemus, nunc solum iuxta illas colligimus, & aerem non fuisse in principio creatum, sed solum materiam, ex qua postea productus est. At vero etiam stante nostra sententia hæcenus fundata, quod in illo instanti facti sunt omnes orbes celestes, & supponendo tunc esse creatam veram elementam terræ, & aquæ, quod mox tractabimus, potest quis opinari non fuisse tunc creatum elementum aeris. Fundamentum igitur esse potest proxime positum, quod proprietati verborum standum est, Moyses autem in illis verbis celum, & terram proprie nominat, in illis verbis ac earum abyssum statim commemorat: aeris autem nullam mentionem facit: ergo licet dicamus, creatos esse celos, & illa duo elementa, non est, cur de aere idem asseramus.

Nihilominus existimo probabilius, aeris elementum in sua propria specie, ac substantia perfectum simul cum celis creatum esse. Hæc est communior sententia Scholasticorum, & fere modernorum Scriptorum. Et sumitur ex D. Thoma 1. q. 66. art. 1. in fine corporis, & art. 3. in corpore, & alijs locis, quæ in sequenti assertionem, & capite sequenti expendemus. Et sumitur ex Augustino, Basilio, Chrysost. & alijs Patribus dicentibus, materiam rerum elementarium à principio fuisse creatam sub proprijs substantialibus formis corporum, vt infra referemus, & intelligendum esse de formis corporum simplicium ostendimus. Est præterea sententia per se verisimilis, valdeque probabilis. Tum quia elementum aeris per se pertinet ad vniuersi integritatem, & compositionem: decuit autem Deum eodem, & quasi vniuo momento mundum hunc perfectum producere saltem quoad ea corpora, ex quibus per se primo, & essentialiter componitur: hoc enim magis ipsius potentia manifestat, suæque bonitati, & sapientie satis consentaneum est. Tum etiam, quia integrum elementum aeris suo modo est incorruptibile, & ingenerabile, ideoque quasi conaturaliter postulat, suo modo per creationem fieri: omnia autem, quæ per creationem facta sunt, simul facta sunt, quia cum non præsupponant ordine temporis materiam, ex qua fiant, non possunt inter se successione in creatione sua, ideoque fingenda non est sine auctoritate, vel ratione cogente, quæ in præsentia nulla est, vt videbimus.

Atque hæc rationes cæteris simplicibus elementis communes sunt. Specialiter autem probatur assertio ex verbis Genesim, quibus explicatur res facta ante productionem lucis per illa verba, *fiat lux*, & c. Nam omnia illa, quæ ante lucem facta sunt, simul in illo momento, de quo dictum est, *In principio creauit Deus*, & c. facta sunt: sed in illis rebus tunc factis comprehenditur aer: ergo fuit simul creatus cum celis. Consequentia est euident. Maior autem partim ex prædictis, partim ex verbis Genesim constat. Supra enim ostensum est, illud principium, fuisse temporis initium, & vnum indiuisibile instans, in quo simul celum, & terra creata sunt. Post illam vero celi, & terræ creationem, nihil denuo Deus produxit, donec dixit, *fiat lux*, vt patet ex contextu Genesim. Prius enim dicitur: *In principio creauit Deus celum, & terram*, & statim additur: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas*. Vbi pondero illa tria verba, *erat, erant, ferebatur*, quib. nihil denuo factum asseritur, sed quod factum fuerat, explicatur. Ergo quicquid sub illis verbis comprehenditur, per illa prima verba, *in principio*, simul factum refertur.

Super-